

ET MORBILLIS.

non sunt, vt statim ad expulsionem stimulent viresque suas
exerant, quod vel in pessimo illo veneno canis rabidi accide-
re solet: vel quia ipsa natura ita impedita est, & ob alias acti-
ones magis necessarias, (scilicet nutritionem & augmenta-
tionem) tam occupata, vt materiam istam non aggrediatur.
Aggreditur autem natura non impedita, ab inquinamentis
turgescens stimulat, plerunq; sumpta occasione ab aëre
vitiato, alijsq; causis remotioribus. Quo tempore, quia na-
tura feruet desiderio expellendi, magnoque labore & cona-
tu insurgit, sanguis exagitur, calorq; præter naturam ex-
citatur.

ro ant in-
fans post
partum?

16. Atq; hæc commotio siue exagitatio communiter e-
bullitio dicitur, cuius interuentu, non secus ac in musto fe-
ces & spuma à vino: ita in corpore inquinamenta illa à san-
guine omnibusq; partibus vi expultricis facultatis secernun-
tur, & per cutaneas partes extruduntur. Nam vi caloris ho-
mogenea facile congregantur, & heterogenea separantur.
Verùm ex crassioribus illis impuritatibus ebullientibus cum
sanguine, & ad cutem propulsis variolæ; ex tenuioribus verò
morbilli generantur.

17. Quare vbi vtraq; impuritas satis efferbuit, si natura
robusta sit, tota ad cutem propellitur; vnde corpore ab his
impuritatibus perfectè expurgato, variolæ & morb. nun-
quam deinde redeunt. Quod verò paucis nonnullis inter-
dum recurrant, potissimum variolæ, causa erit, quia primo
tempore impuritas illa crassior aut tenuior non satis defer-
buit, & à natura debili & impedita non tota expulsa sit; sed
pars aliqua relicta ad quam expellendam natura iterum in-
surgere cogitur, sumpta plerunq; occasione ab aëre vitiato:
quod maximè euenit, si humores geniti ex vitiosis alimentis
ab impuritatibus materni sang. inquinantur. Nam ex solius
menstrui

Quare se-
mel omnes
ferè variol.
& morbil.
tentantur,
nonnulli
bis aut ter?